

## CONCIO VII.

V. Quia bona rama unum ac verum, hoc est, Christianorum Deum glorificat, et hoc potissimum collimare debemus, cum famam bonam querimus, ut nimis homines videntes lucem operum nostrorum bonorum, glorificant Patrem nostrum qui in celis est. Ob hanc causam, sæpumero non possumus, licet vellemus, negligere famam nostram, sed tenemur infamantem cogere ad recantationem, quando scilicet hinc Dei gloria detinetur. Unde S. Gregor. hom. IX. in Ezech. « Hi quorum vita in exemplo imitationis est, inquit, debent si possunt detrahentes sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, et ita in pravis moribus manentes bene vivere contemnunt. » Talium enim pastorum ignominia redundat in Deum, cuius illi personam repræsentant, et cuius gloria per hoc in proximi ædificatione impeditur. Vicissim propter male audientes blasphematur nomen Dei.

Curet ergo unusquisque conservare ac tueri famam suam, ut juxta Sancti Petri monitum, I. Petr. IV. *Omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

## CONCIO VII.

NON ERUBESCENDUM CONFITERI CHRISTUM,  
ET VIVERE CHRISTIANE.

I. Christum confiteri et sequi gloriosum. — II. Servile est timere mundi sanas. — III. Nec Christus erubuit. — IV. Compensabit Deus. — V. Erubescencia nocet.

## THEMA.

*Tu es Christus Filius Dei vivi. Matth. XVI.*

Antiqua Hebræorum traditio est apud Hieronym. in Ose XI. magist. hist. schol. in exod. Tielman. in Psalm. CXIII. tribum Judam ejusque ducem Aminadab idcirco sceptrum regni consequentum, et ducem aliarum tribuum constitutum esse, quod ipse cum sua tribu primus cæteris trepidantibus ingressus sit mare rubrum, cum id instar muri utrumque divisum staret. Hinc enim ejus exemplo provocate cæteræ tribus mare pertransierunt. Non dissimili ratione S. Petrus e duodecim discipulis unus, primus per publicam confessionem intravit in abyssum divinitatis Christi, dum dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Non timuit ille duos illos parietes, timorem et pudorem: minas et obrectationes malorum. Hanc igitur tam magnanimam confessionem ita remun-

ratus est Christus, ut propterea statim promiserit illi primatum Ecclesiæ et summum pontificatum nunquam evertendum. Nec immerito, siquidem Petrus hac sua confessione cæteris apostolis, ut idem ficerent, exemplo prævivit. Nec illis tantum, sed et nobis omnibusque omnino Christianis, qui hac Petri voce confirmati, Christum verum Dei Filium et voce et vita confessi sunt. Habemus igitur auditores, et videmus in hodierno evangelio nostrum Aminadab, præeuntem nobis in tam profundum mare summi fidei mysterii. Hunc ergo et nos sequamur, non ore tantum, sed et actu et moribus, ut non modo Christum confiteri, sed et christiane vivere minime erubescamus. Sed quia video adhuc trepidantes hac in re aliquos, qui singulis mensibus vel hebdomadis confiterentur et communicarent, singulis diebus missam audirent, ad salutationem angelicam genua flecterent in publico, etc. nisi timore et pudore a virtute retinerentur, animemus illos.

I. Quia gloriosum est confiteri Christum et sequi eique servire. Quis enim erubescit, imo quis non gloriatur se habere Dominum regem? Quam pudet tali Domino suo publice servire, ascensuro in equum tenere stapedes? Pransuro affundere aquam, etc? Non pudet hoc imperatorem, quando Romæ est, facere summo pontifici, tamquam Christi vicario; et nos talia erubescamus facere ipsi Christo? Quis non studet honorem domini sui promovere, et ignominiam vindicare? Ac si hoc facere ei contigerit, an non sibi gratulabitur? Nos Dei servi sumus, quia fecit nos et eripuit nos de potestate tenebrarum: ei fidelitatem juravimus in baptismo, et renuntiavimus ejus hostibus: cur ergo non Deo potius quam dæmoni aut mundo placere optemus?

Ad hæc Deo et Christo servire et testimonium præbere non est aliud nisi virtutem colere; quis autem sapiens erubescat de virtute? Quis recte incedens erubescat, si a claudis rideatur? Et quis non fatuum diceret illum, qui cum recte incedere posset, derisione tamen claudorum motus, inciperet claudicare? Qui virtutem sectantur, recti sunt: qui vitium, claudi. Quare si recte incidentem rideant claudicantes, laudabunt tamen recti et sapientes. Ita enim Fridericus imperator interrogatus, quinam sibi essent charissimi, respondisse fertur: *Qui me non magi, quam Deum timent.*

Taceo quod ad extremum ab iis ipsis obrectatoribus, qui prius te vituperabant, laudaberis, si strenuum te in virtutis et vite christiane studio exhibueris. Sic enim testatur S. Augustinus, serm. VIII. de verbis Domini: « Cum quisque, inquit, Christianus cœperit bene vivere, fôrvere

## IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

bonis operibus, mundumque contemnere; in ipsa novitate operum suorum patitur reprehensoris et contradictores frigidos Christianos. Si autem perseveraverit perdurando et non defecerit a bonis operibus, iidem ipsi nobis obsequuntur, qui ante prohibebant. »

II. Quia turpe et puerile est signumque pusilli et servilis animi timere mundi cœci, et infirmi obrectationes et derisum. Quid enim est mundus, ut tu ejus gratia a recto et æquo deviare, Deumque tuum, deserere et negare debeas? Latrare potest, mordere non potest; et ubi aliquantulum latravit, etiam latrare cessabit, erit instar catelli, anseris morsum minantis, sed infigere nescientis. Quam excors foret ille miles, qui ad unius bombardæ explosionem illico corrueret, et hosti manus daret? Talis autem est qui ad mundi obrectationem a bono opere cessat vel abstinet. Nimirum illi sunt de quibus, c. XXVI. dicitur: *Terribit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium, cadent nomine persequeente.* Metunt enim verba hominum, qui parum aut nihil eis nocere possunt: Deum vero qui et animam et corpus mittere in gehennam potest, non metuant. Mundus non est judex tuus; sed Deus. Praestat ergo perdere gratiam mundi, quam Dei. Luna imitanda est qua ad importunos canum latratus obsurdescentes nunquam intermitti cursum suum, canes autem silentio ejus confusi coguntur tandem fatigati rapida ora claudere.

III. Quia nec Christus erubuit pro nobis in vili et abjecto apparere habitu, forma servi accepta: non erubuit ponere vestimenta, præeingere se linteo et lavare pedes ac tergere discipulis suis; denique vestibus exui et flagellari, velari, nudus crucifigi et pendere in ligno quasi maledictum (majora facit adhuc in s. eucharistia.) Et qui sumus nos respectu illius? Dominus non erubescit lavare pedes servo, confundi et irrideri pro servo: et servus erubescat hæc pati vel agere pro Domino? Hoc exemplar proponit nobis imitandum apost. ad Hebr. XII. dicens: *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra sedis Dei sedet.* Hoc attenderunt sancti illi Joseph ab Arimathia, et Nicodemus, qui cum prius essent occulti Jesu discipuli, postea videntes sustinuisse eum crucem confusione contempta, contempserunt et ipsi confusionem; et ille quidem introivit audacter ad Pilatum et petit corpus Jesu, et depositum de cruce, licet esset nobilis decurio, Marci XV. alter vero afferens mixturam myrræ et aloës unxit corpus Jesu, et ambo honorifice sepelierunt, Joan. X. Idem exem-

plum secutus est apostolus ad Gal. I. scribens: *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placarem, Christi servus non essem: et ad Rom. L. Non erubesco evangelium.* Quam etiam vocem usurpavit per illustris Palatinides Paulus Kostka frater B. Stanislai Kostkæ, uti habetur in ejus vita, qui parentibus orbatus, hæres amplissimorum bonorum, fratrem secutus, omnia sua bona Christi amore in pauperes erogavit, et hospitale domum extruxit, in qua inter pauperes vivere et mori voluit, ideoque suo sepulcro inter eos positum voluit inscribi: *Non erubesco evangelium.* Nimirum scribit S. Ambr. I. I. offic. c. XXX. *Neminem debet pudere, si ex divite pauper fiat, dum largitur pauperi, quia Christus pauper factus est, cum dives esset, ut nos sua inopia ditaret.* Hoc eodem stimulo tactus Adolphus Holsatiae comes, cum spreto mundo pauperem Franciscanorum habitum induisset, et forte obviantibus sibi filiis splendido equitatu, factus obvius lac mendicato collectum portasset, humano primum affectu tactus erubuit: sed illico se colligens, lacte se totum perfudit in conspectu filiorum dicens: *In felix homo paupertatem erubuisti bajulare lac, nunc in capite el cucullo ostende quid portaveris,* Hieron. Ziegel. de viris illustribus German. c. XLVIII. Denique, ss. martyres cujuscumque ætatis et sexus quævis despctissima paratissimo animo pro Christo pertulere, et in hoc ipso gavisi sunt: uti et S. Hieron. qui ad Asellam scribens, ait: *Gratias ago Deo, quod dignus sim, quem mundus odorebat.* Alii ultra humilitatis obsequia ad imitationem Christi suscepere, ut olim reges Anglie qui feria quinta majoris hebdomadæ leprosorum pedes lavare et exosculari solebant, ut testatur S. Ludovic. Galliæ rex, apud Joinvil. in vita, cap. LXXXIV.

IV. Quia exiguum illam ignominiam vel irrationem compensabit Deus ingenti gloria. Ipse enim dixit: *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles,* I. Reg. II. et rursum, Matth. X. *Omnis qui confitebitur me et ego eum coram Patre meo, qui in celis est.* Neque solum coram Patre suo confitebitur in celis, sed multoties confitebitur et extollent eum in terris. Sic enim Petro se confitentem mox respondit: *Beatus es Simon Barjona, etc. et ego dico tibi, quia tu es Petrus, etc.* Ita enim exornavit S. Elisabetham reginam et ducis conjugem, sui ipsius contemptricem, et amore Christi nequaquam erubescentem vili incedere habitu. Nam cum aliquando Andreas Pannorum rex, pater ejus, legationem misisset ad maritum Elisabethæ, ipsaque tunc temporis abjecta ueste induita esset, ut maritum puderet producere ipsam tam

### CONCIO VIII.

serido habitu ad populares, respondit illa: *Nihil est quod erubescas meas sordes, vestrum splendorem semper contempsi.* Sed quid actum? In publicum progredientem Deus ipse hyacinthina veste gemmis auroque fulgente, decore et magnifico ingenti miraculo induit. Inde attonus princeps, rogavit unde illi tam repente tantus vestram splendor foret? Cui illa: *Sic novit caelitus remunerato suos cultores et cultrices in tempore exornare,* Raderus in Bavaria, s.

Quando ergo tanta est merces hujus confessionis, quis curet mundi oblocutiones et sannas? Quando quis thesaurum fudit, certus ubi inventat, nil curat homines, quidquid illi obganniant, rideant, et derideant. Sic, quia certi sumus exiguam illato confusione compensandam ingenti gloria, quis illam non libenter sustineat?

V. Quia Christi erubescientiam sequitur ingens damnum. Ait enim Dominus loco citato: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et eum ayo coram Patre meo, qui in caelis est:* et, Luc. IX. Qui me erubuerit et meos sermones, *hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, et Patris et sanctorum angelorum.* Et quantum isti padefient in die judicii? Quantum in inferno, cum videbunt se ob insanem pudorem, quem vita- lant, incurrisse tam intolerabilem et perpetuum?

Addo quod haec noxia erubescientia saepe impedit hominum salutem et afferat certam damnationem, ut videre est apud Bedam, l. V. hist. angl. de nobili juvne, qui humano pudore praeditus, poenitentiam agere noluit, ideoque damnatus est; ne scilicet rideretur ab aulicis, si imminentia morte quasi timore compulsus poenitentiam ageret, ut alibi vidimus. O si nos intelligere possemus, quo sibilo, quibus cachinnis, quo ludibrio exceptus fuerit in inferno infelix ille juvenis. Quid putamus inferos dixisse aliud, quam haec talia: O stulte et stultorum omnium stultissime, quo tandem modo tu in hunc tormentorum tecum venis? Nos sectati fuimus aurum et argentum, prædia et possessiones, delicias et voluptates, honores et dignitates. Haec aliquid sunt in mundo. Sed tu ob vanissimum pudorem, quem tibi imaginabaris, gere conabar, (qui tamen potius honor erat, non pudor) in hoc barathrum et ignominiam æternam te præcipitasti? Quanto tibi melius fuissest, sustinere modicum illum contemptum, quam hunc æternum intolerabilem? O stulte et infelix homo! Jam habes, quod fugisti: et quidem centies millies.

Iam qui timidi sunt in bene agendo, facile deprimuntur a proposito. Hac enim de causa Petrus in atrio pontificis, quia timide versabatur, a mure perterritus negavit Christum: cum tamen

alteri discipulo, qui eum introduxerat, nihil simile contigerit, quia scilicet iste tamquam notus pontifici, animosum se ibi præstitit, ac si dominus esset. Hinc Sapiens, Prov. XXIX. ait: *Qui timet hominem, cito corrueat; qui sperat in Domino, sublevabitur.*

Illustrè fortitudinis christianæ exemplum, describit Victor Uicensis testis oculatus, lib. III. histor. Wandalicæ de puerò christiano, Maximo nomine, qui cum aliis sex pro fide catholica ab Arianiis ad necem condemnatus, cum duceretur, Arianiis eum a fide abducere conatibus hac voce: « Infantule, quid festinas ad mortem? Dimebit eos, insaniunt: audi consilium nostrum, ut possis invenire vitæ remedium et tanti regis adire palatum, » animose respondit: « Nemo me separat a sancto patre meo Liberato abbate et fratribus meis, qui me in monasterio nutririunt. Cum ipsis sum in timore Dei conversatus, cum ipsis desidero passionem suscipere, cum quibus credo me et futuram gloriam invenire. Nolite putare, quia potestis seducere pueritiam meam. Simul nos septem voluit Dominus congregare, simul dignabitur omnes uno martyrio coronare instar septem Macchabœorum. Nam si negavero eum, et ipse negabitus me, ut ipse prædixit. » Ducti ergo sunt navi in altum mare, ubi navis cum lignis succensa est, sed mox ignis a Deo extinctus fuit, idque secundo et tertio iterantibus successionem contigit. Quare pudore et ira tremens tyrannus, jussit vectibus remorum eis cerebrum comminui atque enecari. Tali ergo genere mortis felicem animam Deo exhalarunt; quorum corpora præter naturam eadem hora mare illæsa in terram exposuit: ad quod rex expavit. Clerus ea honorifice sepelivit. Ita Victor.

### CONCIO VIII

#### DOCUMENTA ET MYSTERIA.

- I. Cura habenda famæ. — II. Non ferendum gravius, si sinistre de nobis sentiat vulgus. — III. Non reconsendae primo quæ de eo ipso sparguntur calumnias. — IV. Plus requiratur ab institutis Christi doctrina. — V. Petri primatus. — VI. Quæ vera Ecclesia. — VII. Plenaria Petri et successorum potestas.

#### THEMA.

*Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* Matth. XVI.

Primo Reg. VI. legimus iram Dei terribili plaga sœviisse in Bethsamitas, eo quod arcum Dei ex temeritate curiosus inspexisset: *Percussit enim Dominus propterea septuaginta viros et quinquaginta*

### IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

27

*milha plebis.* Qua re indicare voluit Deus, periculose inspici et discuti sacra Scripturæ arcana a plebeis et ineruditis. Infelices ergo Bethsamitæ, quia caro et sanguis, id est, propria cupiditas et curiositas revelavit illis arcam: infelices etiam illi qui juxta proprium caput exponunt sacras litteras. Beatus contra dicitur Petrus, quia caro et sanguis non revelavit et divinitatem Christi, sed Pater cœlestis. Hoc ergo revelante intuebimur arcana in hodierno evangelio contenta.

I. Cernimus curam esse habendam boni nominis et famæ. Audimus enim querentem Dominum, quid fama de ipso spargeret. Sovit quidem hoc Dominus, sed nes instruere voluit, ut non solum conscientiam bonam, sed et famam procurarem bonam, Deo enim bonam debemus conscientiam, proximo autem famam bonam: quemadmodum domos nostras intus et foris exornare solemus, intus pro nobis, foris pro republica et civibus. Sacrificia veteris legis cum suavi odore requisivit Deus, uti Numer. cap. XXVIII. Offeret holocaustum suavissimi odoris: hinc Levit. II. respuit Deus sacrificium de fermento et melle, quia haec si clementur, tetri odoris sunt. Non ergo sufficit, si in conscientia dulcedinem mellis habetas, sed necesse est præterea, ut bona fama odorem habeas; quemadmodum illa Judith, de qua dicitur: *Non erat qui loqueretur de ea verbum malum,* Judith VIII. et parentes Joannis Baptiste, qui: *Erant et justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela,* Luc. I.

Sed hic observandum, primo, Christum non quesiisse quid de aliis diceretur, sed quid de ipso solum. Modo querunt hominestantum, quid dicatur de hoc vel illo: non curant quid de se dicatur. Verrunt itaque ante alienas ædes: non verrunt ante suas.

Secundo, non dixisse: *Quem me dicunt esse homines, sed Filium hominis, ne jactanter de se quærere videretur,* inquit Divus Hieronymus.

Tertio, non interrogasse improbos, quid dicentes de ipso, sed discipulos suos, viros veraces, sinceros et conscientiosos. Mali enim si interrogentur, virtus laudabunt vel excusabunt, virtutes vero carpent, liberalitatem dicent prodigalitatem, jejunia sui ipsius internectionem, orationem hypocrisia, etc.

Quarto, interrogasse suos discipulos sibi notos et conjunctos, qui bene ipsum noverant. Ita si quis seipsum nosse vult, interroget domesticos suos, vel confessarium suum, cui solet aperire conscientiam. Sunt enim qui foris oves et angeli habentur, in domo vero propria deprehenduntur leones et dæmones, duri, impatientes, iracundi, superbi, etc. Ut ergo illum medicum consulere solemus, qui naturam et complexionem nostram perspectam habet: ita illos interrogare debemus, qui norunt vitam nostram. Vetus Judæorum proverbium fuit: *Qui interrogant, interrogant in abela,* id est, ibi, ubi sunt sapientes, II. Reg. XX.

II. Cernimus non moleste deferendum esse, si promiscuum vulgus sinistre de nobis sentiat, siquidem et Christus ipsa bonitas et sanctitas, passus est sinistra et falsa de se hominum judicia, Christi vitam homines in stateram appendebant, et: *Alii dicebant, quia bonus est: alii vero non, sed seducit turbas,* Joan. XIX. quid mirum si hoc contingat nobis? Quis quæso hac in re plus perferre debet, quam reges, imperatores, pontifex? Nihil facilius Antigono regi fuisset, quam duci jubere servos duos, qui incumbente regio tabernaculo ipsum conviciaabantur. Verum hoc audiens, leviter tantum cortinam, quæ intererat, commovit, et: *Longius, inquit, discedite, ne rex vos audiat.* Tulit hoc rex ethnicus, et non feret christianus? Sane si in illis rei non sumus, in quibus carpimus et notamur, sumus tamen in aliis, quæ si paterent obtrectatoribus, merito reprehenderemur.

Ad hæc nemo ita vitam suam instituere potest, ut omnibus perlaceat, ac si quis hoc facere conaretur, stultissimus evaderet; adeo varia et inania sunt hominum judicia. Polycletus insignis statuarius eodem tempore duo simulacra fecit, alterum ad arbitrium plebis, alterum juxta artis normam. Pries illud, ut gratificaret plebi, ad uniuscujusque acceditis sensum et arbitrium mutavit et transposuit, postea utrumque visendum proposuit: et primum quidem ludibrio, secundum vero admirationi habuerunt. Tum Polycletus: *At quod ridetis et reprehenditis a vestra arte profectum est, quod vero suspicitis,* *ea, Elian.* lib. XIV. de histor. cap. VIII. Talis meo judicio evaderet, qui se omnium judicio ac ommodaret. Videns istud Dominus, hominum te se judicia neglexit, et discipulos interrogavit: *Vos autem quem me esse dicitis?*

III. Non recensendas esse proximo, quæ de ipso sparguntur, columnias. Videmus enim discipulos non dixisse Christo, quid in ipsum vulgus fingeret et cavillaretur, verbi gratia, quod hominem voracem, et vini potatorem aliqui dictarent (quod utique sciebant) quia noluerunt esse nuggeruli, et aures Domini talibus fragmentis verberare. Hoc enim munus non est apostoli, sed dæmonis et gehennæ ministri, qui flammæ inferorum succendit. Dæmonem, ait Sanctus Gregorius, fuisse nuntium illum, qui Sancto Job tristia et pessima

## CONCIO VIII.

nuntia tulerat, de filiorum interitu, de clade armentorum, etc. ut hac ratione Jobum ad impatiens impelleret. Similes huic sunt, quid sub specie amicitiae acerbis et inquis nuntiis aures aliorum implent, ut discordias seminent. Bene Diogenes cuidam tali, qui amici calumnias in eum dictas ei recensuit, respondit: *An amicus id dixerit, dubium est, de te autem mihi manifestum est.* Quare si quid sinistrum de proximo dici audimus, quod verisimile appareat, moneamus de hoc proximum, ut se emendet: si falsum esse existimamus respondeamus pro abente, et obstruamus os susurroni, dictumque oblivione sepeliamus, juxta consilium Sapientis, Ecclesiast. cap. XIX. *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.*

Maxime vero hoc observent, qui in magna hominum existimatione vel dignitate positi sunt. Unde enim putatis fama illa increbuit, qua Christus dicebatur esse Joannes Baptista? Utique ex eo, quod Herodes audiens famam Jesu, per ineptiam dicebat Joannem a se decollatum resurrexisse, et hunc esse Christum, Matth. XIV. Hoc ergo velut regis verbum populus mox arripuit et credidit Christum esse Joannem. Verba igitur magnatum, quia ponderosa sunt, scindunt longe atrocios et vulnerant gravius, si falsa et iniqua sint, quam verba privatorum hominum.

IV. Videmus plus requiri a clericis, quam a laicis, a veteranis Christianis, quam a novitiis, a civibus quam a rusticis, et universim ab iis, qui verbum Dei crebrius audierunt vel audire potuerunt quam ab aliis, qui non potuerunt. Hoc enim innuit Dominus, cum ait ad discipulos: *Vos autem quem me esse dicitis?* q. d. miror si plebeii erroneas de me opiniones habeant; at vos melius eruditis estis, melius proinde et rectius de me sentire debetis. Qui plus temporis in scholis consumperunt, plus tenentur scire, quam qui heri incepert. Præstítit hoc Petrus cum condiscipulis: cum enim reliquorum hominum de Christo opinione humi serperent hominemque tantum in Christo agnoscerent, ipse in cœlum evolavit, et divinitatem Christi vidit ac confessus est.

V. Videmus Petri primatum super alios apostolos, ut qui solus velut caput apostolorum, et Ecclesiæ futurus confitetur Christi divinitatem et humanitatem: et cui soli dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* item: *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Quid enim traditio clavium nisi plena et summa potestas ad regendam Ecclesiam? Sic enim accipitur clavis Isaiae, cap. XXII. ubi de instituendo novo pontifice dicitur: *Dabo clavem domus David super hu-*

*merum ejus.* Ad Petrum igitur seu successores ejus pertinet dicere sententiam in rebus fidei dubiis. Quid ad hæc hæretici, qui primatum in Ecclesia negant? Aiunt etiam reliquis apostolis datum esse a Christo plenariam potestatem ligandi et solvendi, Joan. XX. ac proinde parem. Sed respondetur cæteros apostolos in hoc fuisse pares Petro, primo, quod a Christo immediate auctoritatē ecclesiastici ministerii habuerunt: secundo, quod eam ita acceperunt, ut ea ubi vis locorum rite et legitime uti possent, non in hac vel illa mundi parte dumtaxat. Cæterum potestas Petri quoad duo præcellentior fuit primum, quia eam potestatem accepit ut ordinariam, quæ proinde post ejus mortem transiit ad ejus successores: cæteri apostoli ut delegatam, quæ non transiit ad successores, ut videlicet ubi vis locorum uti potestate sua possent, sed cum illis extincta est. Secundum, quia potestas aliorum apostolorum subjectionem quamdam annexata habuit ad Petrum: Petri vero potestas omnino absoluta et summa fuit. Huic enim soli dictum est: *Tibi dabo claves regni cœlorum:* et: *Pasce oves meas:* et: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

VI. Videmus quæ sit vera Christi Ecclesia; illa nimur quæ semper viget, et a portis inferi nunquam opprimitur. Talis autem non est nisi Ecclesia catholica; siquidem aliae antiquorum hæreticorum sectæ prorsus extinctæ sunt, recentiorum vero ante centum annos non fuerunt. Ergo vel illæ errarunt aut errant, vel Christi verbum mendax est, quod nefas foret cogitare. Igitur nos in hac Ecclesia quæ petra est, et invicta hactenus semper perstitit, firmiter persistamus, et in ea fidem nostram solide fundemus; non ob terrenum aliquod commodum, sed Dei et salutis nostræ amore. Audiamus D. Bedam, in homilia: « Porta inferi, inquit, doctrinæ sunt nequam, que seducendo imprudentes ad inferos trahunt: portæ quoque inferi et tormenta et blandimenta sunt persecutorum, quæ infirmos quoque deterrendo, vel emoliendo a stabilitate fidei, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Sed et fidelium opera, ineptaque colloquia, portæ utique sunt inferi, in quantum suis vel fautoribus, vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Multa sunt itaque portæ inferi, sed harum nulla Ecclesiæ, quæ super petram fundata est, pravalet. Qui fidem Christi intimo amore percepit; omne quidquid exterius periculis tentandis ingruit, facillime contemnit; at quicumque credentium fidem vel opere, vel negatione depravatus prodiderit, non hic supra petram, Domino cooperante, domum suæ possessionis ædificasse, sed juxta alterius loci parabolam super arenam, sine funda-

## IN FESTO SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

mento posuisse credendus est; hoc est, non simplici ac vera intentione Christum sequi, sed terrenam quamlibet fragilemque ob causam, habitum prætendisse Christiani. » Sic ille.

VII. Videmus plenariam Petri et pontificum ejus successorum potestatem ad ligandum et solvendum, adeoque non solum ad culpas per absolutionem, verum etiam ad poenas per indulgentiam remittendas, necnon excommunicandum rebellis, ad ferendum leges, ad dispensandum, ad suspendendum, ad interdicendum, certos casus reservandos, etc. ait enim Dominus universim: *Quodcumque ligaveris super terram; quodcumque solveris.* Ab illis accipiunt inferiores ministri potestatem ordinis et jurisdictionis, eam-

que tantam, quanta illis arbitrio pontificum conceditur. Quemadmodum paterfamilias solus habet clavem capitalem seu generalem, quæ omnes seras aperit et claudit: cæteri domestici habent tantum partiales ad quædam aperienda, non omnia.

Fidelis sermo et omni acceptione dignus est inter: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Posuit olim Deus flammum gladium ad portas paradisi custodiendas ne quis introiret. Nunc Christus veluti faber quispiam ex gladio claves conficit, quibus aperiatur paradise. Verum claves istæ tantum aperiunt in hoc sæculo; dicitur enim: *Quodcumque ligaveris super terram. Ergo janitor hic quærendus.*

## AUCTARIUM

## CONCIO I.

CHRISTIANI ET IPSI SINT PETRA, SICUT PETRUS ET PAULUS.

I. Sint refugium miserorum. — II. Sint patientes in iuriarum. — III. Defleant jugiter peccata sua. — IV. Sint solidi in fide et charitate. — V. Sint munimentum et defensores Ecclesiæ, uti Petrus et Paulus.

## THEMA.

*Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. XVI.

Propheta Isaías, ut Hebræorum populum officii sui admoneret et ad meliorem frugem efficaciter perduceret, proposuit illis in exemplum simul et stimulum, patriarcham suum Abramum et matrem Sarah: ut eos velut filii non degeneres imitari conarentur: *Attendite ad petram,* inquit, *unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis,* Isa. LI. moxque indicans petram illam, subdit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Sarah, quæ pèyerit vos, quasi diceret: Videte quales parentes habueritis;* Abraham scilicet et Sarah, instar petræ solidissimos in fide, pietate et justitia: vos igitur ne degeneres eorum filii sitis: petræ estote, quemadmodum et parentes vestri petræ fuerunt. Non possum ego vos, auditores, melius exhortari ad officium vestrum, quod est hominis christiani, nisi proponendo vobis patriarchas vestros; Petrum, cui velut petræ et fundamentali lapidi suam Christus inædificavit Ecclesiam: e quo velut patre (post Christum) vos

omnes excisi estis, quia a Romana ejus sede fidem accepistis; deinde Paulum, velut matrem, qui 1. Cor. III. ait: *Lac vobis potum dedi, non escam,* a quo velut matre solidissimum fidei lac susimus omnes nos. Attendite ad hos parentes vestros, et videte ut filii eorum sitis, adeoque etiam petræ, quoad fieri potest. Qua vero ratione, id nunc videndum.

I. Petræ asylum quoddam et refugium sunt tum hominum, tum bestiarum. De his testatur Ps. CIII. *Petra refugium erinaceis:* et Prov. XXX. Sapiens: *Lepusculus plebs invalida collocat in petra cubile suum:* et Cant. II. *Columba invitatur ad foramina petræ.* De illis testem habemus Davide, qui fugiens Saulem, ascendit super abruptissimas petras, ut lateret in spelunca, 1. Reg. XXIV.

Petra talis fuit S. Petrus misericordia et errantibus. Nam primo, in pentecoste, cum territi ac compuncti essent Judæi Jerosolymis sub adventum Spiritus sancti, cum spiritu vehementi in forma ignis de cœlo emissi, etc. dixerunt ad Petrum et alios discipulos: *Quid faciemus, viri fratres?* Act. II. *Sicuti enim cæci ducibus se contradunt,* ait gl. vel sicut ægri medico, naufragi gubernatori se committunt, ab iisque opem expetunt. Quid ageret hic Petrus? Petram se exhibuit, refugium erinaceis, dum ad pœnitentiam eos et baptismum adhortatus est, sicque Christo reconciliavit. Ad hanc eamdem petram confugit, seque affixit ille claudus, qui a Petro erectus, tenuit Petrum et Joannem: *Tamquam salutis suæ auctores et conservatores* (ut ait OEcumenius) ambulans cum eis, Act. III. Postea homines illi, qui in plateas ejicie-